DECANO ET FACVLTATI MEDICINÆ PRINCIPI.

QVÆ Cælo deuocata pro Numine majorum gentium primùm haberi meritissimò cœpit Medicina (Viri Diuinæ Artis Principes) *Ea ipsa est quam ad Vos pridem migrasse eorum qui illi litant famâ & religione vero verius increbuit. Omnibus scilicet vaga illa terris sine Lare & Flamine non inuenit Scholâ vestrâ augustius domicilium quò se reciperet, religiosius Sacrarium quo puriùs sanctiúsque coleretur, non habuit. Speciem & ora Sospitalis Numinis corruperat fœdissima Arabum inscitia & barbaries, Diuam pro mancipio iniquiùs indigniúsque tenebat in vinculis: ea tum Medici fundi calamitas, & bonarum litterarum erat solitudo. Veterem at vos ipsi cum Maiestate formam cultúmque Natalibus parem reddidistis, vindicastis. Cúmque dudum siluissent illa quæ Græcorum primi nominis Mystarum atque imprimis Magni Hippocratis Galeníque ore olim dederat Oracula, apud Vos denuo primúmque audita ⁓ exinde immortali de omnibus bene merendi studio communicata gentibus exteris, quæ ad vestram hanc Scholam tanquam ad mercaturam salubrioris disciplinæ auspicatò boníque auibus appulerunt, ita vt omnium confessione non Vrbis sed Orbis Schola prærogatiuô quodam docendi medendíque jure audiat. Quamobrem, quando & ipse ex ijs singulari vestro beneficio esse me intelligo, qui Medicinæ sacris ex lege initiati rogatíque Sacramento se se vobis dedere in disciplinam, nomenque ac fidem sunt professi, dabitis* (*Viri solidâ Artis operum Professione toto orbe Perillustres, Præceptores obseruantissimi*) *votiuâ hacce Vobis omnibus nuncupatâ* Tabellâ, *cùm Deos* Penates *nominatim appellare mihi nefas, simul purgari nomen nexi clientis, simul Augusti Nominis ambiri patrocinium & occupari, quum in sago & sub pellibus alteram hyemem duraturus, jámque in procinctu duri certaminis postulatitius, Vobis iubentibus in arenam descendo. Quanquam enim redhostiendi vices vt implere possim & valeam, neque magnitudo acceptorum, neque palam sæpiùs confessa tenuitas sustineat, hôc vno saltem nobile illud & Auitum Ciconiarum Ancile memori debitæ pietatis officio & exemplo sum redditurus, quòd de fundo vestro glebæ adscriptitius ipse Vos colere, bonóque Principis Scholæ Genio sic facere mediter. Dum grati obsequentísque animi huncce partum, quando hæc vna mihi gloria relicta est, apud vos satum, natum, adultúmque pro fidelis obseruantiæ hospitali tessera iussóque Mineruali Vobis omnibus & singulis Dominis addico & exhibeo. Hoc verò quantulumcunque est, si boni æquique consulueritis* (*Colendissimi Præceptores*) *tantis auspiciis, tam pronis fauitoribus vsus,* Pa*risinam dicturus ad Aram audebo fidentiùs, etiam haud viribus æquis, cum grauissimis Agonothetis experiri & cernere, vltimos inter spiritus nec pedem statione, nec animo Sacramentum & obsequium positurus.*

NOMINA ET COGNOMINA DOCTORVM REGENTIVM in Facultate Medicinæ Parisiensi, anno 1659.

M. Dionysius Guerin, *Antiquior Schol. Mag.*
M. Ioannes de Gorris.
M. Iacobus Perreau, *Prof. Botan.*
M. Ioannes Merlet.
M. Franciscus Guenault.
M. Ioannes Bourgeois.
M. Robertus Tulloüe.
M. Petrus de Beaurains.
M. Claudius Lienard.
M. Franciscus Mandat.
M. Franciscus Boujonier.
M. Ioannes de Bourges.
M. Franciscus Pijart.
M. Antonius Charpentier.
M. Claudius Quiquebeuf.
M. Ioannes du Cledat.
M. Helias Beda des Fougerais.
M. Philippus Harduin de S. Iacques.
M. Hermannus de Launay.
M. Iacobus Iouvin.
M. Philibertus Morisset.
M. Vrbanus Bodineau, *Med. Reg.*
M. Iacobus Theuart.
M. Guido Patin, *Prof. Reg.*
M. Cyprianus Hubaut.
M. Nicolaus Brayer.
M. Sebastianus Rainssant.
M. Claudius Seguin, *Med. Regin. Primar.*
M. Ioannes Vacherot.
M. Gilbertus Puylon.
M. Nicolaus Langlois.
M. Iacobus Renaut.
M. Petrus Hommets.
M. Nicolaus Matthieu.
M. Iacobus Mentel.
M. Franciscus Blondel, *Decanus.*
M. Petrus le Comte.
M. Germanus Preaux, *Schol. Censor.*
M. Claudius Germain.
M. Ioannes Pietre.
M. Ioannes Chartier, *Prof. Reg.*
M. Petrus Legier.
M. Franciscus le Vignon.
M. Mathurinus Denyau, *Prof. Reg.*
M. Petrus Yvelin, *Med. Reg. & Regin.*
M. Claudius Guerin.
M. Petrus le Mercier, *Prof. Chir.*
M. Nicolaus Richard.
M. Nicolaus Capon.
M. Martinus Akakia.
M. Michaël Marés.
M. Iacobus Gauois.
M. Dionysius Joncquet.
M. Claudius le Vasseur.
M. Florimundus Langlois.
M. Franciscus Pajot.
M. Tussanus Fontaine.
M. Claudius Perraut.
M. Carolus le Breton.
M. Petrus Bourdelot.
M. Stephanus le Gagneur.
M. Rolandus Merlet.
M. Guillelmus Petit.
M. Petrus Moriau.
M. Paulus Courtois.
M. Ioannes Garbe.
M. Andreas Guyet.
M. Petrus de Mercenne.
M. Michaël du Pont.
M. Ioannes Forestier.
M. Claudius Tardi.
M. Simon Boulot.
M. Ioannes Maurin.
M. Ioannes Hamon.
M. Antonius Morand.
M. Isaäcus Renaudot.
M. Eusebius Renaudot.
M. Ioannes Baptista Moreau, *Prof. Reg.*
M. Stephanus Bachot.
M. Bertinus Dieuxivoye, *Scol. Professor.*
M. Ioannes Armandus de Mauvilain.
M. Petrus Perreau.
M. Michaël de la Vigne.
M. Robertus Patin.
M. Ioannes de Bourges.
M. Germanus Hureau.
M. Ioannes Antonius Bourgaud.
M. Carolus Baralis, *Med. Reg.*
M. Franciscus Lopes.
M. Daniel Arbinet.
M. Antonius de Sartes.
M. Franciscus Landrieu.
M. Claudius Quartier.
M. Nicolaus le Lettier.
M. Alanus Lami.
M. Franciscus de la Chambre, *Med. Regis (Ordin.*

293

M. Franciscus Boujonier.
M. Philippus Chartier, *Med. Reg.*
M. Carolus Patin *Schol. Professor.*
M. Nicolaus Morin.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Lienard.
M. Abrahamus Thevart.
M. Ægidius le Bel.
M. Claudius de Frades.
M. Michaël Denyau.
M. Antonius Ioannes Morand.
M. Petrus le Large.
M. Petrus Cressé.
M. Franciscus Gouël.
M. Ludovicus Gallais.
M. Raphaël Maurin.
M. Edmundus Charrier.
M. Fabianus Perreau, *Præses.*
M. Ioannes Baptista de Revellois.

QVÆSTIO MEDICA, 58

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. DECEMBRIS,

M. FABIANO PERREAV, Doctore Medico, Præside.

An Volvulo Balneum?

VT solido Naturæ jure stat integritas valetudinis, sic ejusdem injuriâ neque vnus ab vna morbus gliscit: hujus illiúsque prima vis, à ventre ac sub ventre præcipuus labor & querela. In hoc naturalis juxta, vitalis animalisque peni negotiosus procurator ventriculus operi licèt assiduus & fidelis curet annonam, diarium (quo sine ὁ αἰὼν ἐφήμερος) adornet, caducæ nihilominus operæ & alimoniæ affricat peccata, nec cautior sibi futurus prægustator, quum εἰς ὁλομελίην diribenda chyli analecta ἀψίκορος excutit, & in intestina ἔνοχα λήψεως καὶ ἀποκρίσεως organa demittit: quibus id exinde muneris facit reliqui, datatim receptum vtilem succum inter transuectionis remoras, vt illa feliciùs percoquant, à venis per ἐπιχορδίδα famelicásque lactes circum vndique dissipatis, jugi avidóque suctu insimul delibandum. Hàc ventris ad absolutam Nutricis animæ λειτουργίας hepatísque (quod χορηγὸν αἵματος cum sæculi Prometheïs caue levifidus ejures) quæ patent commercia, intestina primùm agitant δημιουργίῃ συνδιοικούμενα, vnáque ἐνδελεχείας περισταλτικῆς addicta penso, culinæ retrimentis porrò à laribus vitalium diuinæque mentis Regia deportandis abducendísque allaborant. Legem fidémque illa si ruperint, solutis valvularum repagulis ac conuerso in præcordia limite fit illico durum homini mali genus ἄνω εἴλησις, compendio dixeris εἰλεὸς, Volvulus, vel cum Pythagoricis Medicis φραγμός.

QVAMOBREM, næ illi hujus affectus nomen tenent qui ægræ parti addicunt pro tessera; neque Celsi authoratior suffragio Arabicæ gentis sinisteritas, quæ germanum colici doloris Volvulum, illúmque inferiorum, hunc superiorum putat esse: communis nempe operis & erroris, optanda at misera ἡ αὐτὴ συμμορφὴ, conspiratio est & societas; quanquam vtroque titulo crassis tenuia meritò præeant, ac per voluminum traduces ab his illa minùs, seriùs peccent: hinc totius naturalis familiæ mancipia in tormento & fidiculis, singulatim simúlque teneri, est quod jure quiriteris; modò námque vagus mollem madoréque solutum stomachum sollicitat dolor; ructus acidus, nidorulentus gravem animam inquinat; ventriculi frustratur qui prodit laborem, singultus; ægro irritóque nisu torminosa, præstricta, æstu reciproco in ilia refuga, malè saburrata alvus circumstrepit: dum impeditus actúsque sinuosis intestinorum claustris vi viam quam non inuenit (cætera κατακορέσι indulgentior) flatus quærit; angiportu conclusus tortúsque χορδαψὸν parat, vel vltrò citróque, súsque déque, objectu solidorum corporum complosus cuncta miscet; vltima tandem ægro venit experiri quùm hæret lotium, anima laborat tristi panperioris foci argumento, etiam siticulosis ac febrientibus crebrò exilitérque micant arteriæ, quod vtique fatalius, quàm si remenso itinere regestæ fæces ora vomitantium spurcentur: tam latè vnius gulæ maleficia patent, eximiæ cruditatis ἔγγονα; tantùm noxæ celat ventris νάρκωσις, quam cibi copia, varie-

tas, qualitas peregrina, vsus insolens, præposterus tulit: ex quibus succrevit in pœnam crudi, pigri, crassi, biliosi, atrabilarij, ἰχωροειδοῦς succi vis plurima; indéque πίπτει, κολλῆται intestina sidunt, connivent, frigidi excrementi situ occallescunt, arido squallore rugant in se se reditura, phlegmone arctantur, obstruuntur excrementis.

BALNEVM ad Medicinæ legem temperare qui nouit, non parum momenti in tuenda salute morbóve arcessendo est consequutus; præsentaneum vtrique discrimen importat qui negligit: quicquid medendi ἀγωγὴ habet operæpretij, id penè vnum absoluit; densa solidáque corpora tenui dum subit vapore, soluit; crassa tenuat & eliquat tepore blando; emollit dura; tensa rigidáque laxat; cæcos reserat partium meatus; lento viscidóque succo τὸ ὀλισθηρὸν conciliat, πεπασμὸν (θερμῷ non æstimandum) crudo; feroci suppalpatur; lenit acrem; fervidum temperat; ignauo calori insito, torpidis spiritibus carceres aperit; viam munit ad statiua; humoris ἀρχεγόνου quam nequit prohibere, moratur ἀνάλωσιν: vt eis his tandem judices quàm acceptum peripneumonicis, pleuriticis, cephalalgicis, καρηβαρικοῖς, nephriticis, colicis doloris in Balneo positum Nepenthe; quòd cedentis ægrè sputi ἀναγωγὸν, vitalibus εὔπνοον· ἄκοπον articulis, miserâ macritudine consumptis artubus ἀναληπτικὸν, siticulosis ἄδιψον, ἄλιμον famelicis, putredinis denique ἀλεξίκακον; nec commodior plerisque occurrit difficilis somni pararius, fœcundæ paranymphus Veneris, pigræ nimium excretricis sequester; gratiam modò intempestivitate ne corruperis. Cave sis ergo νεοβρόφητον, νεόποτον Balneo committas, quum primùm illi fumant ventris focula; vel pascas ab eo adhuc madentem; semel demersum blandissimi licet pharmaci haustu agonistico purgare, æquè tibi ac sub cane & ante canem interdictum scias; commodum morâ æstimes, aquæ ἀθερμοῦς temperiem, caloris nonnihil etiamnum superantis commensu qui sit ferendo; tempestivitatis momenta, non cæli constitutio, non anni tempus sed morbi, describet.

VERVM quando nihil peccare sortem Naturæ superat; ita vtrobique te componas vt à scopo quàm minimùm etiam tum aberres, quum à fine sequior casus abducit invitum: quæ geris omnia ad indicationis normam protinùs exigas. Præsidiorum necessariam copiam, vtilem delectum, non morbus, at morbi causa suppeditabit; vsum deinceps pars affecta; quem statuas modum ægri vires docebunt: hâc sic te contineas lineâ, vt nihilosecius veniat primum, quod in rem naturæ ejúsque vindicias κατὰ μέγεθος vel ἀξίωμα magis vrget: neque ideò nisi injuriâ dicendus exlex, si quando nonnullis caducarijs legibus morbi ἰσονομίᾳ renuntiauerit, modò inter ἀνυπεύθυνα hanc vnam obnoxius colas quæ morbis contraria jubet, similia negat: ita propitia Dominæ votis ars accedet, quæ rerum quibus creuit æternis durat odijs, inter caduca stat recta, sarcitque ac tuetur valetudinem his quibus timet & perit. Haud alio vsus Theseo, Volvuli labyrinthis plagisque intestinorum impeditum extricabis laborantem; primas ἡγεμονικώτατον sibi habeat venæ sectio, etiam incocti cibi plurima illuuie suffertâ alvo, vel ἀκαθαρσίας vitio restagnantibus primoribus venis; quam, cui, quando, vbi cædas nihili refert, ἄνω, κάτω, è regione, an secus? puero senívè an juveni? Solibus temperatis an Sirio brumáve? Romæ an Lutetiæ? ne sis horum sollicitior; vnas dumtaxat vires consule & explora documentis fidelibus: salva res est si amplo vulnere ad deliquium vsque eò fidentius liberaliúsque mittas, quò dolorem febris accessione videris ampliùs incendi. Ab vsu ἐρεθιστικῶν tibi prorsus tempera; χαλαστικὰ, quæ molliendo, humefaciendo lubricent, quære victu & medicamentis; potiora quæ in alimentorum censu; ab his proxima ἔμβασις, quæque quoddam veluti balinearum προοίμιον est ac meditatio, tepidæ fotus & perfusio.

GRADV excidis qui res Artis & Naturæ sorti credis ac permittis, impósque tui ἐν ἀπορίῃ βοηθήσεως solida vi confestim iturus, extrema extremis experiunda remedia nullo judicio decernas & vsurpes; an nescis? ῥαστώνῃ μᾶλλον ἢ βίῃ hujus illiúsque consilia, vota atque opera perfici: apage igitur valentiorum purgantium fetam gentem, queis instructus Agyrta incassum liberare satagit quem atrociùs vexat volvulosum, fato, si per superiora viam affectent, maturiore; ne benigniorum quidem frugi operam tum fore arbitreris; quamvis aliàs his illa sæpenumero debeant quod nil læserint; suúmque ipsa facinus insperato exitu artem mentita fors, quum ἀνοδίην χειρίζει, quandoque absolvat. Quò tutò, placidè, integrè, & quod vnicè studendum, properè, viarum impedimenta summoveas, prouinciæ caput est εὐροῖαν ποιεῖν. Vtramque numeris omnibus absoluet implebitque paginam solium aquæ egelidæ, vel etiam calidiusculæ, sive simplicis seu liquido olivo, maluâ, althæâ plurimâ medicatæ: oppido opportunè feceris qui recens injecto enemate madidum, vel indito relictóque clystere demerseris laborantem; simúlque modico & pingui ex intervallis propinato jusculo recreaveris, vel oleo amygdalino demulseris, tentaueris vadum. Recense quæ volvulosum malè habent singula, Balnei in singulis agnosces beneficium; circumtensi peritonæi & in sese conversi remeantísque intestini rigor implacabilis hoc se remittet; crudi lentíve hu-

moris resoluto infarctu cedent flexuosi itineris offendicula; morâ, calore loci congestis solidatísque fæcibus, comparatâ mollitudine lubricum conciliabis; anum firmiùs oppessulatum recludes; inane conantis expultricis opus paratius multò, quàm famoso Empiricæ Medicinæ idolo hydrargyro, vel anicularum quàm Dioclis aut Serapionis invento digniore, plumbeo globulo deuorato, promovebis. Neque falles Opio mox rediturum dolorem, sed tolles penitus, Naturâ priscæ legi redditâ, intestinis sua pensa relegentibus.

Ergo Volvulo Balneum.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Patin.
M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Perreau

M. Ioannes Armandus de Mauvilain.
M. Bertinus Dieuxivoye, Schol. Prof.
M. Stephanus Bachot.

M. Petrus Yvelin, Med. Reg. & Regin.
M. Mathurinus Denyau, Prof. Reg.
M. Franciscus le Vignon.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS RVFFIN, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. LIX.

Typis IOANNIS IVLIEN, Bibliopolæ Iurati Vniuersitatis, viâ citharæâ, sub signo quatuor Evangelistarum, prope Collegium Iustitianum & Harcurianum.

cette œuvre [illegible] se trouve tome VII du recueil in folio th. 1102.